

# A F R I C A.



Ostulat ordo, ut de Africa, monstrorum genitricē, dicamus, quæ Proverbio locum dedit: *Africa semper aliquid novi refert.* Asia minor est. Longitudo quippe ejus computatur ab Herculis Freto, ad promontorium Bonæ Spei mill. 100. Latitudo inter duo promontoria, Hesperium, vulgo *C. Verde*, *Terminus* & Aromata, quod est juxta fauces Arabici Sinus, vulgo nunc *C. de Guardafuy*, mill. 10. Tota péninsula est quædam, quæ à Septentrione clauditur mari Interno, ab occasu Oceano Atlantico & Æthiopico: à meridie Oceano Indico, ab Ortu mari rubro, qua parte Isthmo Asiar connectitur, cuius Isthmi intercapedo est mill. xxv. Controversia est inter Geographos, utrum Nilus dividat Asiam ab Africa, quod plerique statuunt, qua in re sententiam sequi præstat præstantissimorum Geographorum. Africam ab Asia, ut Pomponio Melæ placet, separat Nilus fluvius, & meridianus per ejus defluxum ad mare usque Æthiopicum ductus: Sed Ptolomæo magis placet, ut Asia ab Africa dirimatur Sinu Arabico, & Meridiano, qui inde ad mare Mediterraneum ducitur per Isthmum, qui Ægyptum Arabiæ & Iudææ facit continentem: neque enim videtur Ptolomæo conveniens, ut Ægyptus distrahatur, & pars ejus Africæ, pars autem alia Asiar tribuatur, quod fieret, si Nilus statuatur terminus Asiar & Africæ. Ortelius verò in Generali Africæ tabula ita scribit: Animadvertisendum est, eos, qui universam Africam mari Mediterraneo, Atlantico, Æthiopico & Nilo fluvio constringunt, Ægyptum & Æthiopiam Asiar adscribere, quas tamen regiones Africæ connumerandas ducimus. Vera namque Æthiopia Presbyteri, ut vocant, Iohannis imperium continet, quod hodie omnes Africæ annumerant: nos itaque potius cum Ptolomæo mari Mediterraneo & Oceano, quam Nilo fluvio circumscribi oportere judicamus.

Africæ pars meridionalior, sive extrema versus meridiem veteribus planè incognita fuit, usque ad annum Christi 1497, quo anno Vascus de Gama auspiciis regis Lusitanæ Africam circumnavigavit, & extremum Africæ ad meridiem promontorium, quod Caput Bonæ Spei dicitur, prætervectus ad Calecuthum pervenit. Pleraque ejus inculta, & aut arenis sterilibus obducta, aut ob situm cœli, terrarumque deserta sunt, aut infestantur multo & maleficio animalium genere. In universum vasta est magis, quam frequens. Quædam tamen partes ejus eximiè fertiles. Celebrem eam fecit olim Carthago, Romani imperii æmula, necnon Ecclesiæ Christianorum, quæ sub Augustino & aliis præstantissimis Doctoribus frequentes fuere. Hodie Mahumeticæ doctrinæ addicta, excepta ea parte, cui imperat, ut vulgo creditum, Presbyter Ioanties.

Regiones atque gentes, in quas divisa fuit quondam, sunt, Ægyptus, Cyrenaica, Afri *Partes.* ca minor seu propriè dicta, Troglodytæ, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libya interior, Arabia Troglodytica, & Æthiopia. Quinam eam populi antiquitus incoluerint, ex jam recitatis nominibus regionum & gentium constat. Advenæ autem primi fuere Phœnicum coloni, aliisque ex Asia profecti. Postea paruit Romanis; mox Græcis Imperatoribus. Deinde Vandals, Saracenis, Arabibus. Nunc partem tenet Turca, partem Serifus, quem vocant; partem reges alii, partem denique Hispaniarum rex. At Æthiopes à suo solo neque recesserunt, neque in id alias colonos receperunt, cuius rei causa est longinquitas regionis, immensæque intercedentium desertorum vastitates.

Dividitur nunc Universa in septem potissimum partes sive regiones, quarum nomina sunt hæc: *Ægyptus, Barbaria, Biledulgerid, Sarra* desertum, *Nigritæ, Æthiopia Interior*, sive *Superior*, quod Abissinorum est imperium, & *Æthiopia Exterior* sive *Inferior*, cuius regiones sunt *Congi, Monomotapa, Zangibar & Aian.*

Ægyptus Nili ostiis continetur, quorum extrema sunt Orientem versus Pelusiacum, ubi Damiata; versus occasum Canopicum, ubi Alexandria & Pharos. Caput nunc est Cairum, vulgo Alcair, Chaldæis Alchabyr, urbs stupende magnitudinis, emporium celeberrimum. Propè est Mater ea hortus balsami fruticibus consitus, quod uni terræ Iudææ quondam concessum, hodie, nisi hoc loco, nusquam colitur. Visuntur hic Pyramides, sive moles lapideæ tres, miraculis adscriptæ. Eas suprà tumulos regios erigi curabant Ægypti reges, aut ad inanem divitiarum ostentationem, aut ut populi torporem excitarent. Harum maxima gradibus foris prominentibus adsergit. Gradus sunt CCL. singulis est altitudo quinum pedum. Singula latera passus habent CCCXXIV. In summa pyramide planities est capax L. hominum. In hac positus peritissimus, robustissimusque sagittarius, telum nunquam ita emittet, ut extra basim pyra-



## A F R I C A.

midis c̄adat. Ex quō quanta hujus operis vastitas sit, colligi potest. Secunda claritate est Alexandria. Post hanc *Raschit*, quod Europæi *Rosettam* vocant. *Damiata*, olim *Pelusium*, *Ptolomæi Geographi* incunabulis insignē; cuius quondam capti gloria *Harlemensibus nostris* debetur. Vrbs est potens, opulenta, commodo portu, & navium frequentia celebris, ad Nili ostium *Pelusiacum*.

*Barbaria* ab Ægypto usque ad fretum *Gaditanum* extenditur, provincia & quinque regnis distincta. Provincia *Barcana* est, regna verò, *Tunetanum*, *Tremisenum*, *Fessanum*, *Maurocanum*, & *Parense*. Regnum *Tunetanum* veterem Africam minorem fermè totam occupat. Caput est *Tunetum*, vulgo *Tunisi*, insignis, vetus, ac satis ampla urbs, quæ ex Carthaginis ruinis cr̄vit. Secunda est *Tripolis nova*, quæ *Barbariæ* dicitur, ad differentiam *Tripolis Syriæ*. *Bona* etiam, quæ olim *Hippo*, D. Augustini Episcopatu nota. Intus verò est *Constantina*, Romanarum antiquitatum reliquiis conspicua. Regni *Tremiseni* caput est *Tremisen*, bellis gravissimis vexata & attrita urbs. In ejus littore est *Algerium*, *Algiers*, emporium satis noble, at *Turcarum* piratica infame, Christianis mancipiis refertissimum. Vrbs ipsa mœnibus, arcibus, ac tormentis bellicis adeò munita, ut invicta credatur. Versus mare Atlanticum sunt regna *Fessæ* & *Marocci*. Illius caput est *Fez*, urbs totius *Barbariæ* princeps. At *Tanger*, *Seuta*, & *Arzilla* amplæ ad fretum urbes sunt, Hispano subditæ. *Marocci* metropolis est *Maroc*, amplissima ac celeberrima olim, inter maximas universi orbis memorata.

*Darense* regnum olim *Cæsariensis* *Mauritania* fuit. Caput est *Dara*.

*Melilla* ad mare mediterraneum Hispano paret.

*Biledulgerid* longissimo tractu ab Ægypti confinibus, à tergo dictarum regionum ad Oceanum usque Atlanticum exporrigitur. Deserta in ea sunt, *Lempta*, *Hair*, *Zuenziga*, *Zanhaga*, à singulis oppidis cognominibus appellata. Regna *Targa*, *Berdoa*, & *Gaoga*.

*Sarra* desertum continuatur huic regioni versus meridiem, cujus longitudo à regno *Gaoga* ad regnum *Gualata* extenditur.

*Nigritæ* ampla regione habitant, ad utramque *Nigri* amnis ripam. Longitudo ejus porrigitur à *Nilo* & *Meroë* insula, usque ad *Nigri* ostia & Oceanum. Regna in ea sunt hæc, ab urbibus denominata: *Gualata*, *Hoden*, *Genocha*, *Senega*, *Tombuti*, *Melli*, *Bitonin*, *Guinea*, *Temian*, *Dauma*, *Cano*, *Cassena*, *Benin*, *Zanfara*, *Guangara*, *Borno*, *Nubia*, *Biafra*, *Medra*.

Æthiopiæ Interiori imperat Abissinorum Rex, qui Presbyter sive pretiosus *Ioannes*, vulgo *Prete Gianni* vocatur, magno, recepto tamen errore; cum is quondam in Asia regno *Tenduc* regnaverit. Dividitur in plurima regna & provincias, quarum nomina sunt, *Dafila*, *Barnagasso*, *Dangali*, *Dobas*, *Trigemahon*, *Ambiancantiva*, *Vangue*, *Bagamidri*, *Beleguanze*, *Angote*, *Balei*, *Fatigar*, *Olabi*, *Baru*, *Gemen*, *Fugni*, *Tirua*, *Efabela*, *Malemba*. Vrbes in universo imperio paucæ sunt: vici plurimum habitatur, domibus ex creta & stramine constructis. Rex ipse, qui albo esse colore fertur, sub tentoriis degit, quorum sex millia eum sequuntur. *Amara* arx est munitissima, in monte *Amara* condita, in qua regis filii sub validissimo præsidio educantur, donec patre defuncto hæres producatur. Quod superest Africæ, Æthiopia exterior sive inferior perhibetur, ab Oriente, Meridie & Occidente Oceano perfusa. Regionum, in quas dividitur, prima est *Congi*, quod aliis *Manicongo*, ab urbe *Congi* nomen habet. Incolæ sunt Christiani. Terra ipsa fluminum aquis maximè irrigua. Regia est, civitas *S. Salvatoris*, quæ antè *Banza*. Secunda est *Monomotapa*, solo fertilis atque amœna, amnes habens auriferos, & silvas elephantis refertas. Caput regni ac sedes regum est *Monomotapa*, ad flumen *S. Spiritus*. Hinc versus Septentrionem mill. circiter L. distat nobile ædificium, amplum atque antiquum, quadra forma ex ingentibus saxis constructum. Tertia est *Zangibar*, cuius partes *Cafares*, *Mozambique*, *Kiloa*, *Mombaza* ac *Melinde*, quarum Mozambique in insula condita celeberrimum est Europæis mercatoribus emporium. Quarta juxtalitus maris Rubri versus Septentrionem est *Anjan*, cuius partes duæ *Del*, & *Adea Magaduzzo*.

*Insularum* ad Africam terram maxima est *Madagascar*, sive insula *D. Laurentii*, à Tropico Capricorni ad 8 usque gradum ab Æquatore protensa, felici aromatum proventu dives, longitudine mill. Germ. CCL. latitud. LXXX. occupans. At in Atlantico Oceano, contra *Hesperium* promontorium, quod nunc est *Cabo Verde*, *Hesperides* sunt insulæ duæ; ultraque *Gorgades*, *Gorgonum* quondam domus: nunc in universum *Islas de C. Verde* Hispanis dicuntur. Contra *Mauritaniam* sunt Insulæ VII. olim *Fortunatæ* dictæ, hodie à primaria dictæ *Canarie*, Hispaniarum regi subjecta. Nomina earum sunt, *Palma*, *Ferro*, *Gomera*, *Canaria*, *Tenerife*, *Lancerotta*, *Forteventura*. Altius versus Septentrionem est *Madera*.

*Lacus. Montes.* *Africæ* sunt duo *Zaire*, & *Borreo*. Montes præcipui, *Abyle*, *Atlas*, *Lunæ*. Ultrà hos veteribus nota non fuit. *Atlas* mons *Mauritaniae* est, totius Africæ vel fabulosissimus. E mediis hunc arenis in cœlum usque attolli prodiderunt celebrati autores, asperum, squalentem, qua vergit ad littora Oceani, cui cognomen imposuit: eundem opacum, nemorosumque, & scatibris fontium riguum; qua spectat Africam, fructibus omnium generum sponte ita subnascen-

tibus.



tibus, ut nunquam satietas voluptatibus desit: Incolarum neminem interdiu cerni, silere omnia, non aliter, quam solitudinum horrore: Eademque noctibus micare crebris ignibus, Agipanum, Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum ac fistulæ cantu, tympanorumque & cymbalorum sonitu strepere.

Inter flumina præcipui sunt Nilus & Nigris. Nilus omnium amnium in internum mare *Flumina*. exeuntium maximus. Inundatione sua efficit, ut expers imbrum terra mire tamen fertilis sit & fecunda rerum multarum genitrix. Hic in Africæ desertis, montibus Lunæ ortus, haud statim Nilus est, & primum ingentem lacum Nilidem, qui nunc Zaire & Zembre dicitur cxx. mill. Germ. permeans, cum diu simplex sævusque receptis dextera magnis aquis descendit, Astapus cognominatus, quod Æthiopum lingua significat aquam è tenebris profluentem, circa Merœn, Insularum, quas innumeræ lateque patentes spargit, clarissimam, lævo alveo Astabores dictus est, hoc est, ramus aquæ venientis è tenebris; dextero verò Astusapis, quod latentis significationem adjicit, nec ante, quam ubi rursus coit, Nilus dicitur. Inde partim asper, partim navigia patiens; mox præcipiti cursu progressus, inter occurantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. Postea lenis, & fractis aquis domitaque violentia, & spatio fessus, tandem ad Διλη oppidum per omniem Ægyptum vagus & dispersus, septem ingentibus ostiis in mare Ægyptum se evomit. Bis in anno certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, secundus innatæ terris. Causas hujus incrementi varias prodidere; Sed maximè probabiles duas: Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum, ultra in ora acto mari: aut imbres Æthiopiæ æstivos, iisdem Etesiis nubila illo ferentibus ex reliquo orbe. Idem amnis unus omnium nullas expirat auras.

Nigris fluvius est interioris Æthiopiæ, medium Nigritarum regionem interfecans, ejusdem cum Nilo naturæ. Crescit enim, ut & Nilus, mensie Junio, totos dies XL. quibus per vicina ripis loca navigare licet. Ita limo obducta tellus miro proventu rerum luxuriat. Vocatur Claudiano *Gis* vel *Gir* in Paneg. Stiliconis. Et *Gir* notissimus amnis Æthiopum. Puto etiam apud Sidonum Apollinarem sic scriptum fuisse,

*Indorum Ganges, Gothorum Phasis, Araxes*

*Armeniæ, Gis Æthiopum, Tanaisque Getarum.*

pro eo, quod nunc cogitur, Tagus Æthiopum. Quid enim Hispaniæ flumini in Æthiopia? Circa flumen planities ampla est, nulli montes aut colles, Sylvæ frequentes, quibus Elephantipaluntur. Crebri lacus ex Nigri inundatione dicuntur remansisse. Aër circumcirca saluberrimus, adeò ut morbo Hispanico laborantes si in has regiones deferantur certò convalescant. Dictum Nigrim volunt, propter solidudines nigri pulveris, eminentibus interdum velut exustis cautibus.

Varia in Africa reperias monstrorum genera, quorum diversitatem multitudinemque *Animalia*. inopiae aquarum adscribunt, ad paucos sive amnes sive puteos congregantibus se feris. Multiformes igitur fieri ajunt animalium partus, variè mares cum feminis cuiusque generis aut vi aut voluptate miscente. In desertis Libyæ, & Numidia maxima est serpentum copia. Nempe hic

*Squamigeros ingens Hæmorrhoidis explicat orbes,  
Natus & ambiguae coleret qui Syrtidos arva  
Chersydros, tractique via fumante Chelydri.  
Et semper recto lapsurus lumine Cenchris.  
Pluribus ille notis variatam tingitur alvum,  
Quam parvis tinctus maculis Thebanus Ophites.  
Concolor exustis atque indiscretus arenis  
Ammodytes: si inaque vagi torquentे Cerastæ,  
Et Scytale, sparhis etiam nunc sola pruinis  
Exuvias positura suas, & torrida Dipsas,  
Et gravis in geminum vergens caput Amphisibæna.  
Et natrix violator aquæ, jaculique volucres,  
Et contentus iter cauda sulcare Phæreas.  
Oraque diffundens avidus spumantia Praester,  
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Sepis.*

Basiliscum etiam alit Africa. Quæ de eo narrantur, fabulosa quidam suspiciati sunt: atqui Leone Pontifice certum est ad ædem Luciæ sub fornice stabulatum Basiliscum, cuius adflatu magnalue Roma adfecta fuit.